



VNC modum antiquis ualde usitatum, etsi Ioannes noster de monte regio negligendum duxerit, executioni tamen numeratoriæ eundem mandare uoluit. Quare & nostro huic organo eundem accommidabimus, nam modus iste diuidit arcum semidiurnum puncti eclipticæ orientalis, aut arcum æquatoris ei similem in tres æquales portiones, &

arcum seminocturnum eius in totidem, per puncta quæ diuidentia, & punctum eclipticæ orientale, ac polum mundi utrunque tingit quinque circulos magnos, qui cum meridiano totum Zodiacum, & totum cælum in 12. partes diuidunt, quas uocant domos. Operaturus ergo secundum hunc modum: Loca gradum ascendentem ad partem horizontis orientalem, tenendo deinde globum immotum, pone notam in æquatore in directo armillæ meridianæ, id est accipe ascensionem rectam decimæ domus, deinde moue spheram uersus occidentem, donec gradus orientis cadat sub armilla meridiãna, & pone iterum notam super punctum æquinoctialis, in contactu eius cum armilla meridiãna, id est accipe ascensionem rectam ascendentis, postea computa gradus æquatoris à prima nota usque in secundam, quos gradus intercapedinis scilicet harum duarum notarum dinumerando diuide, uel officio, circini distingue in tres partes æquales, quas duabus interiectis signaturis in æquatore notabis. Vel aliter operare: Quære ascensionem rectam mediæ cœli, uel decimæ domus, ut supra iam dicebatur, & eam ad partem serua; deinde quære etiam ascensionem rectam gradus ascendentis, etiam ut supra, quam etiam serua ad partem, postea subtrahe ascensionem rectam decimæ domus ab ascensione recta ascendentis, si commode fieri quauerit, sin autem, integrum circulum scilicet gradus 360, ascensionem rectam ascendentis adde, & inde fiat subtractio, & residuum, hoc est differentiam, id est semidiurnum hunc arcum diuide in tres partes æquales per 3, scilicet diuidendo; deinde adde ascensionem rectam decimæ domus, illam tertiam partem semidiurni arcus, & fiet ascensio recta undecimæ domus. Sic etiam iterum huic iam inuentæ ascensionem rectam undecimæ domus, adde eandem tertiam, & fiet ascensio recta duodecimæ domus. Deinde moue spheram, donec prima illarum duarum notarum, scilicet ascensio recta undecimæ domus cadat sub armilla meridiãna & gradus Zodiaci ibidem sub eadem armilla meridiãna apparens, est initium undecimæ domus. Postea pone secundam illarum duarum notarum ascensionem scilicet rectam duodecimæ domus sub armilla meridiãna, & gradus Zodiaci ibidem sub eadem inuentus, erit initium domus duodecimæ. Nunc quære etiam ascensionem rectam septimæ domus sub armilla meridiãna, sicut capite 19, abunde accepisti, & subtrahe eandem ascensionem rectam septimæ domus ab ascensione recta decimæ domus, & differentiam illarum ascensionum, id est reliquum semidiurnum arcum, diuide etiam ut prius in tres partes æquales, etiam per tria diuidendo; deinde subtrahe tertiam hanc inuentam ab ascensione recta decimæ domus, & fiet ascensio recta nonæ domus. Sic rursus subtrahe eandem tertiam ab hac ascensione recta nonæ domus, & fiet ascensio recta octauæ domus; deinde pone primam istarum duarum notarum, scilicet ascensionem rectam nonæ domus sub armilla meridiãna, & gradus Zodiaci sub eadem armilla cadens, est initium nonæ domus. Pone etiam secundam notam, scilicet ascensionem rectam octauæ domus sub armilla meridiãna, & gradus Zodiaci sub eadem cadens, erit initium octauæ domus. Reliquas uero domos, per signa opposita, gradusque oppositos habebis. Exemplum huius hoc accipe: Sit 18. gradus Arietis ascendens in regione, cui polus borealis $40\frac{1}{2}$. gradibus eleuatur, ut in præcedentis capitis exemplo; Ascensio igitur recta decimæ domus est 278. Item ascensio recta primæ domus gr. 17. Subtrahendo igitur hanc ab illa, ascensionem uidelicet rectam decimæ domus ab illa primæ domus, relinquitur mihi differentia harum, graduū 99. Quæ si partior in tres partes æquales, proueniunt gra. 33, quos si adiungo ascensionem rectam mediæ cœli,

com